



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

VI. Idem asserit testiminiis septem summorum Pontificum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

## CAPVT VI.

*Idem afferit testimonius Pontificum.*

I.

RIM V M igitur Pontificium testimonium illud es-  
**D** se poterit, quod de Gregorio IV, refert Paulus Æ-  
 milius. sic enim ait lib. 3. de rebus gestis Francorū:  
**L**ugduni consilium Episcoporum, quos Ludouici  
 Imperatoris filij contraxerant, habitum, Imperiumque patri  
 abrogatum. quod decretum mox à Gregorio Pontifice Ma-  
 ximo rescissum est. Eodem pertinet quod scribit Marianus  
 Scotus lib. 3. Chronicī, Rex (inquit) Ludouicus Reginam A-  
 quis obuiam ei venientem iubente Papa Gregorio accepit. si-  
 quidem filij Ludouici non solum Imperium patri abrogauer-  
 ant, sed etiam vxorem Iuditham ci ademerant. Sed vtrum-  
 que iubente Gregorio recepit. ex quo resellitur (vt obiter hoc  
 annotemus) quod Sigebertus in Chronicō scribit, Gregoriū  
 Papam cum filiis Ludouici aduersus patrem eorum conspi-  
 rasse. nec solum Marianus Scotus, & Paulus Æmilius, sed etiam  
 Rhegino lib. 2. Chronic. & Aimoinus lib. 5. de rebus ge-  
 stis Francorū cap. 14. & 16. aliique Sigeberto antiquiores Hi-  
 storici Gregorium Papam Ludouico Imperatori fauisse te-  
 stantur. Sed hæc (vt dixi) obiter admonui; illud est proprium  
 huius loci, à Gregorio Papa decretum Francorum esse rescis-  
 sum, quo illi Ludouico Imperium abrogauerant: nec enim id  
 Gregorius ausus fuisse, nisi ab Apostolica sede Imperium ad  
 Francos delatum, atque ab eadem sede pendere intellexisset.  
 II. Adrianus II. 2. Pontifex Maximus cùm accepisset Im-  
 perium Ludouici iunioris Imperatoris à Carolo Caluo Rege  
 amis tentari, continuò ad Carolum Legatos, & litteras mi-  
 fit plenas auctoritatis: de quibus sic loquitur Aimoinus lib. 5.  
 cap. 24. In epistolis (inquit) Papæ continebatur, vt regnum  
 quondam Lotharij, quod Ludouico Imperatori, spirituali fi-  
 lioeius, hereditario iure debebatur, & quod ad eum post  
 mortem eiusdem Lotharij rediit, vel homines in eo degen-  
 tes, mortalium nullus inuaderet, nullus commoueret, nullus  
 ad se conaretur infletere. quod si quis præsumeret, non so-  
 lùm per suæ auctoritatis ministerium infirmaretur, verùm eti-  
 am vinculis anathematis obligatus, nomine Christianita-

yyy 5

tis

tis priuatus, cum diabolo omnino locaretur. Et infra cap*it*.  
idem Aimoinus narrat, Carolum quidem his litteris accip*it*  
molestè tulisse, quod regnum suum propagare prohiberent  
interim tamen non contemp*s*isse Apostolicum mandatum,  
sed legatos cum magnis muneribus ad summum Pontificem  
destinasse.

III. Adrianus IV, in epistola ad Episcopos Germanic*ar*  
refert Io. Auentinus lib. 4. annalium Boiorum, Ideo *imp*  
Imperium à regno Græcorum translatum est in Alemanno,  
vt Rex Teutonicorum nō antè quam à Pontifice Rom. con-  
secraretur, Imperator vocaretur, & esset Augustus. Pontifex  
Romanus promouit Carolum, fecit enim grande, vid-  
set Imperator.

IV. Alexander III. legatis Imperatoris Græcorum, qui oc-  
cidentale Imperium iterum cum orientali coniungi cupie-  
bat, ita respondit, Plantina teste, se nolle id in unum coniungere,  
quod olim de industria maiores sui disiunxissent.

V. Innocentius III. in epistola ad Ducem Thuringia*m*,  
nde extat caput, Venerabilem, extra de electione, Illis *inquit*  
Principibus ius & potestatem eligendi Regem in Imperato-  
rem postmodum promouendū, recognoscimus, vt debemus;  
ad quos de iure, ac antiqua consuetudine noscitur pertinere,  
præsertim cùm ad eos ius & potestas huiusmodi ab Apo-  
lolia sede peruererit, quæ Romanum Imperium in personam  
magnifici Caroli à Græcis transtulit ad Germanos.

VI. Clemens V. vniuersali Concilio approbante decretum  
edidit de iuramento, q*uod* Imperatores Pontificibus præstant,  
vnde extat Clementina, Romani principes de iure iurando,  
eius decreti hoc est initium: Romani principes Orthodoxi  
fidei professores sacrosanctam Romanam Ecclesiam, cuius  
caput est Christus redēptor noster, ac Rom. Pontificem eu-  
dem Redemptoris vicarium seruore fidei, & claræ economi-  
nis promptitudine venerantes, eidem Rom. Pontifici, a quo  
approbationem personæ ad imperialis celsitudinis apicem  
assumendæ, nec non vocationem, consecrationem, & Imperii  
coronationem accipiunt, sua submittere capita, non reputa-  
runt indignum; seque illi, & eidem Ecclesiæ, quæ à Græcis  
Imperium transtulit in Germanos, & à qua ad certos eorum  
Princi-

Principesius, & potestas eligendi Regem in Imperatorem postmodum promouendum, peruenit, adstringere vinculo iuramenti, prout tam mos obseruationis antiquæ, temporibus nouissimis renouatae, quam forma iuramenti huiusmodi sacris inserta canonibus manifestant.

VII. Pius II. in epistola ad regem Turcorum Mahumethū, quæ est inter eius epistolæ 396. Hortatur ad fidem Christi amplectendam eundem Mahumethum, eiique si id faciat, ius ac tulum Orientalis Imperij pollicetur. *Nos, inquit, te Gracorum & Orientis Imperatorem appellabimus, & quod modo & ioccupas, & cum iniuria tenes, possidebis iure.* Et infra: *Et si-  
cuit antecessores nostri Stephanus, Adrianus, Leo aduersus Hasulphum, & Desiderium gentis Longobardicæ Reges, Pi-  
pnum, & Carolum Magnum accersuerunt, & liberati de  
manu tyrannica Imperium à Gracis ad ipsos liberatores tran-  
stulerunt: ita & nos in Ecclesiæ necessitatibus tuo patrocinio  
vicerem, & vicem redderemus accepti beneficij.]* Cùm igitur in gratiam Cæsarum & in odium Pontificum controuer-  
sia haec ab Illyrico in medium sit allata, si inter se ipsi consen-  
tiant, vt reuera eos consentire vtrorumque testimonii demon-  
strauiimus; quid nos amplius disceptare necesse est? Sed  
accedamus tamè ad rationem, & titulos omnes excutiamus,  
quibus aduersarij singunt, Imperium Romanū ad Carolum  
peruenisse.

## CAPVT VII.

*Imperium Germanorum non esse acquisitum  
iure belli.*

**S**Ex omnino tituli sunt, quibus homines regna at-  
que Imperia possidere solent, *Ius belli, Beneficium  
diuinum, Successio hæreditaria, Electio populi,  
Donum Principis, Summi totius Ecclesiæ Praefulis  
decretum.* aut enim aliquis per se Imperium occupat, aut ac-  
cipit illud ab alio. si per se occupat, iure belli dicitur posside-  
re, qui est primus titulus; quo titulo Cyrus, Alexander, Iulius,  
aliique nonnulli summa Imperia tenuerunt. Si accipit ab a-  
lio,